SAMMELHANDSCHRIFT

Frankreich, 13. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26578
Copyright: Admont, Benediktinerstift

animum terrent et fatigant. intantum ut et dormientes aliquando lacrimentur
et evigilantes sepissime conturbentur. Si vero iocundum aliquid viderint
nichilominus evigilantes contristantur tamquam illud amiserint. Audi quid
super hoc dicat Themanites Eliphaz. In horrore visionis nocturne quando
solet sopor occupare homines. pavor tenuit me et tremor et
omnia ossa mea perterrita sunt. et cum spiritus me presente transiret inhorruerunt
pili carnis mee. Confidam Iob dicente. Si dixero. Consolabitur me lec-
tulus meus et revelabor loquens mecum in stratu meo terrebis me
per somnia et per visiones horrore concuties. Nam et Nabuchodonosor
somnium vidit. quod eum valde perterruit. et visiones capitis eius con-
turbaverunt eum. Multas curas secuntur somnia et ubi multa
somnia plurime vanitates. Multos errare fecerunt somnia
et exciderunt sperantes in illis. Apparent enim frequenter insomniis
turpes ymagines. ex quibus per illusiones nocturnas non solum caro polluitur
sed et anima maculatur. Unde dominus in levitico. Si fuerit inquit inter vos homo
qui nocturno pollutus sit somnio egredietur extra castra. et non revertetur priusquam ad
vesperam lavetur aqua. et post solis occasum ingredietur in castra. *De compassione*

O quanto dolore turbamur. o quanto dolore conterimur. cum amicorum dam-
pna sentimus. cum parentum pericula formidamus. Plus interdum sanus for-
midine quam infirmus egritudine perturbatur. Plus hic voluntarius
affectu doloris. quam iste invitus effectu languoris affligitur. Vere id
poeticum. Res est solliciti plena timoris amor. Cuius pectus tam ferreum
cuius cor tam lapideum ut gemitum non exprimat. lacrimas non effundat
cum proximus vel amicus morbum vel interitum incurrit. ut patiente non con-
patiatur et dolentibus non condoleat. *Iohannes* Ipse Iesus cum vidisset Ma-
riam et qui cum ea venerant ad monumentum plorantes infremuit
spiritu et turbavit semetipsum et lacrimatus est. Sed eo potius quod mortuum ad vite
miseriam revocabat. Sciat igitur se culpabilem durum et dure culpabi-
lem qui corporalem amici sui mortem deplorat. et spiritualem anime sue mor-
tem non defleat. *Quod innumere sint egritudines.*